

VIII

AD C. MARCIVM CENSORINVM

Asclepiadeus minor

Dōnārem paterās grātaque commodus,
Cēnsōrīne, meīs aera sodālibus ;
Dōnārem tripodas, praemia fortium
Grāiōrum ; neque tū pessima mūnerum
Ferrēs, dīvite mē scīlicet artium,
Quās aut Parrhasius prōtulit, aut Scopas :
Hic saxō, liquidīs ille colōribus,
Sollers nunc hominem pōnere, nunc deum.
Sed nōn haec mihi vīs ; nōn tibi tālium
Rēs est aut animus dēliciārum egēns.
Gaudēs carminibus : carmina possumus
Dōnāre, et pretium dīcere mūnerī.
Nōn incīsa notīs marmora pūblicīs,
Per quae spīritus et vīta redit bonīs
Post mortem ducibus, nōn celerēs fugae,
Rēiectaeque retrōrsūm Hannibalis minae,
Nōn incendia Carthāginis impiae,

Ēius, quī domitā nōmen ab Āfricā
Lucrātus rediit, clārius indicant
Laudēs, quam Calabriae Pterides : neque,
Sī chartae sileant quod bene fēceris,
Mercēdem tuleris. Quid foret Īliae
Māvortisque puer, sī taciturnitās
Obstāret meritīs invida Rōmulī ?
Ēreptum Stygiīs flūctibus Aeacum
Virtūs et favor et lingua potentium
Vātum dīvitibus cōnsecrat īnsulīs.
Dīgnū laude virum Mūsa vetat morī,
Caelō Mūsa beat. Sīc Iovis interest
Optātīs epulīs impiger Herculēs ;
Clārum Tyndaridae sīdus ab īfīmīs
Quassās ēripiunt aequoribus ratēs ;
Ōrnātus viridī tempora pampinō
Līber vōta bonōs dūcit ad exitūs.